



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 152. Et eduxerunt eum. v. 16.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

§. 152. Et eduxerunt eum. v. 16.

Posteaquam Christo detraxerant purpuram, & illam una dum veste alba flagellis &c. iuxta eum veluti insignia ludicra portari curaverat, suamque illi vestem red diderant, ingenti gaudio perfusi, quod Christum audirent damnatum suæque voluntati transcriptum: ideo in compitis passim gratulabundi concurrabant, ac Pilatum ut iustum Iudicem dilaudabant eiusque sententiam latam probabant. Non opus erat ligna vel fabros conquirere, iam enim secreto Iudæi omnia paraverant, solum erat maxima cura, ne ex prolixiore mora Pilatum sententiæ pœniteret, nec executio illius procederet aut retraheretur, hinc festinanter educitur Abel in agrum a fratre, ut perimatur: victima ad aram properatur. Agitur Isaac cum lignis a Abraham: aries vepribus hæret: etiam Ioseph cum manipulo somnatio & tunica talari sanguine lita. Moyses cum virga & serpente in ligno, botrus in veste portatus. Eiliseus cum ligno ad recuperandam securim, quæ in imo demersa erat, sed renata vit ad lignum. Homo decedit sed per lignum crucis Christi & per baptismum aquæ ad paradysum natavit. Ionas in navi, mox in mari, ventreque ceti.

**O** Infelix Hierusalem! ô miserabilis Babylon, hodie à te exit Salvator tuus, quem à te expellis. **O** cæca Hierusalem, non vides quod imperatorium diadema tuum exportet in capite suo, poderemque Sacerdotalem in corpore, illudque imperij sui vexillum humeris suis transferat Romam versus, nempe ad occidentem vrbis tuæ, in montem Calvariæ, ad gentes se transferens: **O** quam rite diceremus, quod tu illam rejicias, non quod à te abeat: nam illud mos eius habet, ut non vocatus etiam animam nostram occupet, indeque non nisi violenter expulsus recedat.

§. 153. Et baiulans sibi crucem. v. 17.

Ad longos illos & varios itinerum labores molestasque circumductiones, additum est ingens crucis pondus: erat illa si D. Gregorio Niseno credimus è graviore ligno, scilicet è robore, longa pedes quindecim & decem in alis lata: vel iuxta Bernardum & alios, erat composita ex quadruplici ligno, cupresso, cedro, palma, oliva. cupressus in profundo, cædrus in longo, oliva in alto, palma in lato. Pondus eius adeo immane fuit, ut sub ea fatiscens Salvator sæpe sæpius concidisse credatur. Vnde ne succumberet penitus, quærendus ei fuit Simon aliquis, qui ei succollaret.

Tunc obvia facta est ei Virgo Mater, eo seu amoris, seu doloris sensu, ut D. Bernardo authore, animi deliquium pati, necesse sit visum. Ipse vero

P

ro duos